



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt LXXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

Henricus fundator profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Vdilhilde coniuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reuectus inde ad Vtenburram, ibi honorificè est sepultus; postea ex Vtenburra ad Vrsinense monasterium relatus vnà cum fratre Bertholdo honorifico mausolæo conditus est, sub Abbate eius loci XXIII. Paulo Neccharo. Secundus Henrici filius fuit Bertholdus, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum. Irmelgardis autem filia nupsit Baroni cuidam de Vltimis, genuitque Vdalricum de Vltimis, magnum in primis Vrsinensis cœnobij benefactorem, habitantem in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

CAPVT LXXXIX.

Seon siue Seun, monasterium in Germania.

Est illustre monasterium *Sein* in valle *Sein*, prouinciæ Treuerensis, conditum ab *Henrico* Comite de *Sein*, quod confirmauit Ioannes Archiepiscopus Treuerensis. anno 1202.

1202.

Aliud à *Seien*si monasterio, est Bauaricum monasterium *Seon* siue *Sevym* vel *Sevven*, secundum vetera diplomata nuncupatum, & fundatum ab *Arbone* Comite *Damasiano* ac *Andecensi*, qui in *Bauarica Norica*, non pro-

cul

cul à Chiemenſi lacu, Burgilium caſtellum ſuum in templum vertit, D. Lamperto dedicauit, tradiditque Benedictinis monachis. Incolæ à lacubus, qui ibi ſunt frequentes, vocant *Socum*. Henricus Sanctus, hoc & alia monaſteria largiter locupletauit.

Vlricus Abbas Seunenſis & conuentus elegerunt Ludouicum Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ in Aduocatum & protectorem ſuum vigore priuilegiorum ſuorum, tam Pontificiorum quàm Imperialium, ita vt poſt illius obitum ſiue pater, ſiue alij ipſius proximi agnati eandem aduocatiã irreuocabiliter tenerent, alij verò nemini eandem concederent, monaſterij priuilegia & iura defenderent. Extat latinum diploma, datum anno 1247. Ita Hundius.

Munichmuſteriense Monasterium, in Bauaria.

Iſtud monaſterium ad Danubium infra Vohburg fundauit *Drepoldus* Marchio de Vohburg, huius nominis quartus, qui duo inſuper alia monaſteria, *Reichenpach* & *Vvaldſaſſen*, fundauit: ſecundum Laurentium Hochvart, in Catalogo Episcoporum Ratisbonenſium.

Hoc monaſterium olim ab Vgris exuſtam, Henricus nonus, Dux Bauariæ & Deipoldus Vohburgenſis Marchio, pro Benedictinis monachis inſtaurarunt: vt ſcribit Auentinus.

Ludouicus Dux Boiariæ confirmauit huic

monasterio parochiam in Moching, quæ antiquitus huc pertinebat. In illis literis nominat Arnoldum Ducem Boiariæ tyrannum, propterea quòd monasterium magnis malis adfecerat. Testes Albertus Lenzmannus, Albero de Prugperg, Hadmarus de Laber, Meinhardus Comes de Roteneck, Vvinhardus de Rorbach, Otto & Vlricus fratres de Lapide, Albertus Schilvvaz, Iordanus de Starzhausen, Otto de Vverd, Dietricus de Sanderstorf, Berchtoldus de Vvackerstein, Marquardus de Gruenharzhouen, Henricus & Vlricus, fratres de Otling, Vlricus Marschalcus dictus de Perge, Conradus de Munster. Datum Ilmendorf anno 1264.

1264.

Extitit in hoc monasterio liber antiquissimus in membranis cõpactus, in quo descriptæ sunt vitæ Sanctorum, à Paschasio è Græca lingua in Romanam translata, Item Hilarion D. Hieronymi adeò antiquis litteris, ut lectori repuerascendum, & ad prima elementa redeundum sit. In fine hæc verba leguntur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, anno Domini 918. IV. Non. Iunij, & perfinitus apud S. Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quinta decima.* Meminit Ioannes Auëtinus lib. Annalium 4. quem post diligentem inuestigationem anno 1580. ibi non reperi; puto autè translatum esse Monachium ad bibliothecam Ducalem vnà cum quibusdam alijs libris.

Ita Hundius in Metropoli sua Salisburgensi.

CAP.